



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Cultu Sacrosancti Cordis Dei Ac Domini Nostri Jesu Christi

Galliffet, Joseph de

Romae, M.DCCXXVI.

Capituli Ecclesiae Metropolit. Aquissextanæ votum perpetuum de
celebratione facti SS. Cordis Jesu an. 1721.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45817)

CAPITULI ECCLESIAE

Metropolitanæ Aquifextanæ Votum perpetuum ab Illustrissimo ac Reverendissimo Archiepiscopo approbatum, de celebratione festi Cordis Jesu.

2. Julii 1721 Congregatis Præposito, Administratore, & Canonicis.

DOminus de Piolenc Administrator significavit videri sibi æquum, ut, juxta majorum consuetudinem, in pari temporum iniquitate, & sequuta tot malorum liberatione, perpetuo quodam actu Religionis Capitulum Deo se gratum redderet pro depulsione pestis ab hac Civitate, post menses decem, per quos Capitulum cum suis Clericis, in re divina horisque Canonicis assidue recitandis non impeditum est. Rem itaque Capituli Religione dignam facturos, si approbante D. Archiepiscopo quot annis in hoc templo celebrent FESTUM SACRI CORDIS JESU. Quum enim hujusmodi cultus jamdiu inclaruerit, & in multis Ecclesiis solemniter agatur feria sexta post octavam Corporis Christi, approbantibus summis Pontificibus multiplici Brevi Indulgentiarum, accedente multorum Episcoporum autoritate; ac in maxima Regni hujus Dicoeseos parte sit celebris, summeque gratus fidelibus, videtur is esse quem Deus calamitosis his temporibus promoveri & confirmari velit; quum Episcopi ad arcendam luem quæ grassabatur, cum summa fiducia decreverint & statuerint unusquisque in sua

Dicoe-

Dioecesi celebrari FESTUM SACRI CORDIS JESU. Quoniam vero D. Archiepiscopus noster inter pias alias exercitationes, ad quas grassante lue hortatus est, voluit in primis ut ad sacrum Cor Jesu haberetur perfugium, credendum est festi hujus institutionem, non parum collaturam esse ad promovendum Dei gloriam; D. Archiepiscopo fore acceptissimam; fidelibus ad pietatem incitamentum, & toti Ecclesiae nostrae caelestium munerum fontem. Quibus auditis unanimi consensu deliberatum, statutumque est, approbante Archiepiscopo, FESTUM SACRI CORDIS JESU in hac Ecclesia post octavam Corporis Christi prima die, ex voto perpetuo celebrare. Qua die solemne sacrum faciet unus e DD. Canonicis; & sanctissimum Sacramentum publice adorandum proponetur, uti infra octavam Corporis Domini. Sed quia destinata huic festo dies jam praeteriit, hoc anno celebrabitur qua die solemnis omnium ordinum gratulatio divino Numini decerneretur pro fine contagii, & societatis ac commercii restitutione. Subscripserunt *Juliac* Praepositus. *Fourbin.* *Labarben.* *Lauthier.* *Villeneuve.* *Piolenc* Administ. *Reynaud* Secret. *Regusse* Canon.

De his monitus Archiepiscopus, rogatusque per Capituli Legatos approbationem.

Nos, inquit, Carolus Gaspar du Luc Archiepiscopus Aquisextanus, audita lectione memoratae deliberationis, hanc approbavimus & confirmavimus. Itaque statuimus, ac sancimus, ut FESTUM SA-